CORRUPTELA STUDIORUM I.

ABUSUS IN SCOPO AC TERMINO FIGENDO.

§. I.

PRæfaminis tenore jam tum constabit studiorum fini ipsisque studiis haud parum obesse, si quis in figendo scopo aberret. Id quod ipsum verò non uni adscribendum esse causæ, res ipsa loquitur. Sunt, quibus segnities, animi ac corporis mollities terminum ponit plus nimis angustum; Sunt quoque, quibus superbia & adfectata connatarum virium ac propriæ suppellectilis ignorantia terminum ultra modum protendit.

§. II. Et quamvis classis prior gaudere soleat de numero copiosiori; posteriori tamen nec deesse solent subjecta, quorum causa sit cur lugeant Musæ defleantque acerbè sua fata, cultores observantes parùm genuinos, hoc est, tales, qvi non sibi, sed sibimet ipsis in scientiarum, sapientiæ ac prudentiæ dispendium, operam navant atque consumunt.

§. III. Quare & posteriorum causa necessarium duxit Celeberrimus, qui Dresdæ in solatium Ecclesiæ purioris Præsul vivit, V. E. LOESCHERUS, in illo scientiæ genere, qnod exegesin sacram dirigit, in certas classes ingenia distribuere, consilium ipsis præscripturus exegeticum, nam universale, inquit, pro omnibus consilium non datur. Et tres istas, addit, Classes ostendit Christus in Parabola apud Matth. Cap. XXV. Prima Classis est X. talentorum, in qua dantur ingenia rarissima, quæ apta sunt ad quævis difficillima. Secunda Classis V. talentorum, cujus ingenia discant utilia & necessaria. Tertia Classis unius talenti, cujus ingenia discant, quæ indispensabiliter necessaria sunt. Videsis Ipsius Breviarium Theologiæ Exegeticæ, quod prodiit Vitembergæ 1719, & in quo hypobolimææ cujusdam Editionis vitia correxit Autor summe Reverendus, & speciatim p. 205. & subseqq. regulas pro diversorum talentorum ingeniis.

§. IV. Et sane, uti in studio exegetico, sic in omnibus aliis, talentum suum cognovisse expedit studiorum Cultori, imò necessum est, ni incassum, dum invita Minerva, laborare velit. Subjectum enim, sive operans, sive operationis, capax esse debet finis ac mediorum, non capacitate modo privativa, seu logica, sed capacitate physica, seu positiva. (1)

(1) In homine, qui Theologiæ subjectum operationis est, sufficere potest capacitas privativa.

§. V.

§. V. In eo igitur Philosophiæ studio, quod in rerum apices, &, quod in controversias subtilissimas ac acutissimas, v. g. Socini, Spinozæ, Hobbesii, aliorumqve, ac, qui eorum vestigiis insistunt, inquirit, parum Philosophus unius talenti, si vel ungues ad vivum rodat, ac omnes mentis suæ intendat nervos, proficiet, illa quippe illius sunt naturæ, ut ingenia felicissima exercere valeant, id quod, respective, inde, quia non infimæ classis subjecta agnoscunt Autores.

§. VI. Quodsi igitur quispiam, qui ingenio & judicio non par est, nec illarum opinionum Patronis par unquam erit, in absurditatem Illorum oceanum, ubivis exquisitissimarum, semet immittit, periculum est, ne vel ipse vortice rationis fluctuantis absorbeatur, ita, ut pessimis doctrinis addat calculum; vel, cymbæ, ventorum vi commotæ atque huc illuc agitatæ, similis, in diversum feratur, dubius, verane, an falsa acceperit.

§. VII. Hoc ipsum verò quod de Philosophia dictum, reliquis studiorum generibus, Theologico, Juridico, Medico, Philologico &c. applicatum volo. In nullo quippe cuivis Corinthum sive ακμην, pro ratione potissimum hujus temporis adire licet. Valent enim illa *Graciani*, in libro, sub titulo: L' Homme de Cour Maxime I. Tout est maintenant aut point de sa perfection, & l' habile homme en plus haut. Et, il faut aujourd' hui plus de conditions, pour faire (être) un Sage, qu'il n'en falut anciennement pour en faire sept.

§. VIII. Illi autem, qui hac ex causa Studiis obsunt, non possunt non, quin & sibimetipsis obsint, conquesturi aliquando ex Actu IV. Scenæ III. Aristophanis Pluti:

Οιμοι κακοδαιμων ως απολωλα δειλαιος·
και τρισκακοδαιμων, και τετρακις και πεντακις,
και δωδεκακις και μυριακις. Ιου, Ιου.
Ουτω πολυφορω συγκεκραμαι δαιμονι.

Hei mihi misero, quam misere perii nunc miser?
O ter me misere miserum, & quater & quinquies,
Et duodecies, & decies millies: Ah! Ah!
Men' obrui tam multiplici infortunio?

§. IX. Ceterum valebit & heîc notissimum quoddam monitum, quo omnibus & singulis, ad metam obtinendam, ac βραβειον

sibi

ſibi propoſitum currentibus, greſſus formantur, quando ita: Ουκ οιδατε, οτι οι εν ςαδιω (2) τρεχοντες, παντες μεν τρεχουσιν, εις δε λαμβανει το βραβειον; NB. Ουτω τρεχετε, ινα καταλαβητε. Et illud Chryſippi, (3) Philoſophi Stoici, poſt Zenonem fere primarii, à quo tertius eſt in iſta ſecta. Nam primus fuit Zeno, ſecundus Cleanthes, tertius hic Chryſippus; Qui ſtudium inquiens currit, eniti & contendere debet, quam maxime poſſit ut vincat: ſupplantare eum quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet, teſte Cicerone in Libr. III. de Officiis Cap. X.

(2) Exercitium hoc non inter ultima erat in ludis ſolemnioribus Græcorum: Olympicis, Pythiis, Iſtmicis, Nemeis. De ludis autem ipſis, eorumq; ritibus, & in quorum honorem fuerint inſtituti. conf. Joh. Philippi Pfeifferi Antiquitatum Græcarum Gentilium Libr. IV. & de hac quidem materia Lib. I. Cap. XLIX. - - LIII. In ſpecie qui Olympia vicerat, maxime omnium honorabatur, adeo ut Græcis Olympionicen eſſe, majus cenſeretur munus, quam Romæ de hoſtibus triumphus. l. c. p. m. 142.

(3) de Chryſippo, Solenſi ſeu Tarſenſi, quem alii fuiſſe ferunt filium Apollondæ, alii Apollonii, legatur Diogenes Laërtius de vita Philoſophorum Libr. VII. Philoſophum eum extitiſſe eclecticum, & ob amorem ac ſtudium Veritatis, quæ in domeſtico ſcientiæ Auditore requiruntur libertatem ſibi ſumpſiſſe recedendi à placitis Doctorum ſuorum, utpote quibus temporaria ſolum fides debetur, teſtis eſt Laërtius l. c.

CORRUPTELA STUDIORUM II.

ERUDITORUM INVIDENTIA ÆQVE AC INVIDIA.

§. I.

INvidiæ nomine illa nobis venit mentis conſtitutio ac diſpoſitio, qua invidetur nobis; Invidentiæ, qua invidemus. Vel clarius: Invidia eſt, qua noſtra invidentur nobis; Invidentia, qua aliis invidemus noſtra. Equidem prior illa haud rarò cauſa exiſtit eruditionis ſolidioris, dum ſtimulos menti generoſæ in ſtudiorum ſtudio decurrenti ſubjicit, ut illud: *Sub invidia creſco*, vim ſuam egregiè exſerat atque ενεργειαν efficaciſſimam. Verum enim verò cum cauſa hæc per accidens talis variis enervari queat circumſtantiis, quæ ipſi, ut Magneti allium, effectum, accidentalem duntaxat, demant, μυσων Θυροι omnibi ſint αφθονοι. *Invidiam n. dolorem illicitum habemus in alienis bonis.*

§. II.

§. II. *Cartesius* quidem Part. III. tractatus de passionibus Artic. CLXXXII. & seqv. in ea esse offenditur opinione, ut si species quædam detur invidiæ non vitiosæ. Invidia inquiens, quatenus affectus (4) species est tristitiæ mixtæ odio, quæ inde procedit, quod videmus bonum accidere iis, quos eo indignos arbitramur. (5) Nam quod attinet bona vel animæ, vel etiam corporis, quatenus ea â nativitate habentur, satis videtur habere is ad illa dignitatis, qui ea accipit à Deo, antequam ullius mali perpetrandi capax esset. Sed, pergit, cum fortuna alicui bona submittit, quibus revera indignus est, nec ideo invidia in nobis excitatur, nisi quod naturaliter amantes Justitiam, indignamur, eam non observari in distributione horum bonorum, zelus est excusabilis; præsertim cum bonum, quod aliis invidetur, ejus est naturæ, ut in malum abire possit in eorum manibus, ut si fuerit aliquod munus vel officium, in cujus exercitio male versari possint.

(4) De illorum definitione & divisione variorum varia conf. Jo. Frider. Wucherer in dissertatione morali de definitione & divisione adfectuum, quæ Jenæ prodiit MDCCXIX.

(5) Non sufficit opinio, qua aliquos bono quodam indignos habemus, sed requiritur scientia, omnem formidinem oppositi excludens. Quæ autem cum heic loci obtinere nequeat, neque ipsa obtinere poterit invidia.

§. III. Non igitur in controversiam veniunt bona naturalia, cuivis connata, utpote quæ juxta Cartesium ipsum sub invidiam minimè cadere debent, subjecta ratione duplici, quod (a) Deus est illorum largitor justissimus; (b) quod accepta, antequam quis iisdem abuti queat; Sed bona duntaxat ea, quæ alicui fortuna submittit.

§. IV. Fortunæ nomine necessario Cartesio fatum quoddam venit, cum autem idipsum nullum cum Buddeo præter Providentiam divinam agnoscamus, conf. Viri Celeberr. Elementa Philosophiæ Practicæ Cap. II. Sect. I. §. XXXIIX. itemque Cap. II. Sect. III. §. LIX. quando ita: Fortunæ & Fati nomine nihil aliud intelligo, quam ipsam divinam providentiam, arcana quadam ratione actiones mortalium dispensantem, omnino est, cur & omnia fortunæ bona Deo, si non largienti, saltem illorum possessionem concedenti, adscribamus. Eccur igitur nos eadem ad invidiam commovebunt, quæ Deus ipse concessit obtinenda. Accedit, quod φιλανθρωπια, quæ in Deo est immensa,

malis

malis largiatur bona, num fortean, πλουτω της χρηστοτητος & χρηστω του Θεου εις μετανοιαν & ſaniora qvævis ducantur. Divini hujus cum malis proceſſus ex ſanioris rationis decreto imitator aliquo modo extitit Alexander Magnus, (6) dum fratrem Eurylochi, Epimenem, qui cum aliis nefandum contra Regem ac Dominum ſuum animo conceperat ſcelus, antequam pro ſalute Ejus frater precaretur, reſtituit.

(6) Qvem *Edmundus Richerius* in Obſtetrice animorum, dum Cap. IV. §. 7. p. 87. ſeqq. varia ingeniorum genera, quæ ad ſtudia habilia in qvinqve claſſes diſtribuit, ad claſſem refert quintam heroicorum, quæ divino quodam inſtinctu ad omnium rerum cognitionem intimiorem rapiuntur, quæque naturæ legem migrare & divinum quid ſpirare videntur. Has quinque ingeniorum Claſſes adprobat *Morhofius* in Polyhiſtore Libr. II. Cap. I. §. 42. ſeqq p. 324. aſt diſſimulato nomine *Richerii* utpote quem plane ſequitur obſervante Celeberr. *Buddeo* in Diſſ. de Cultura ingenii §. X. in ſelectis Juris Nat. & Gent. p. 374. Cur autem hæc ipſa quoque *Richerii* & *Morhofii* ingeniorum diviſio non arridere poſſit accuratè docet *M. Volckmarus Conradus Poppo* in Diſſertatione de natura animæ & ſpeciatim Intellectus §. XLVII. ſeqq. *Janus Huartus* in Scrutinio Ingeniornm tria genera habilium Cap II. p. 63. totidemqne inhabilium Cap. I. p. 46. conſtituit; aſt erroris convincitur iisdem rationibus, quibus ſupra dictus Autor *Richerii* diviſionem rejecit.

§. V. Secundò, cum juxta ipſum Carteſium bona naturæ idcircò ſub invidiam cadere non debent, quod eadem accepta, antequam quis iisdem abuti valeat, ratio hæc mihi quidem videtur nullius eſſe ponderis ac virtutis, quod αφιλοσοφος, dum bona naturæ invideri poſſunt tempore illo, quo iisdem qvis abuti valet. Infans recens natus bona ex hæreditate ſibi relicta, antequam ex ephebis excedat, & imperium in eadem nanciſcatur, nullo modo abutitur, ſic & juxta Carteſium fortunæ ipſius bona ab invidia erunt immunia. Et ſane, naturæ bona, animæ eadem veniant adſcribenda ſive corpori, majori abuſui ſubjacent, quam illa, quæ ſunt, ex Carteſii mente, fortunæ, ratio eſt in aprico, quia abuſus priorum, cauſa exiſtit abuſus poſteriorum. Eccur igitur fortunæ bona, præ illis quæ ſunt naturæ cadent ſub invidiam, niſi fortean ex hac ratione, quod occaſio dari poſsit, illa fortunæ in ſemet, vel in alium, cui bene cupimus, transferendi, quæ occaſio

 vero

vero in illis, quæ naturæ, exulat. Porrò, cum exempli instar munus adducit vel officium, in cujus exercitio male versari quis possit, sciendum, à posse ad esse non valere Consequentiam. Quid? quod invidens, idem bonum appetens, si tempore invidiæ bonus, in futuro pejor evadere queat, quam possessor bonorum, quæ invidentur, hoc ipso ad meliorem frugem redacto.

§. VI. Digna sunt quæ hic legantur verba Illustris *Thomasii*. Die Natur/inquit, zeiget an/ daß es gantz unvernünfftig (7) sey/über eines andern Menschen sein Glück betrübt zu seyn/ zumahl über ein solch Glück/ das uns eben nicht nütze ist/wir auch nicht verlangen/ oder durch welches uns nichts entzogen wird. (ratio, quia nobis ea non debetur) Denn wenn wir betrübt seyn über eines andern sein Gut/ das wir gerne hätten/ oder gehabt hätten/ so ist es nicht sowol ein Neid/ als eine wollüstige oder Ehrgeitzige Begierde/ oder der formale Geld-Geitz/ (8) nicht sein Kind/ und wir betrüben uns alsdenn nicht so wol wegen des Guten/ das der Andere besitzet/ als wegen des Ubels/ daß wir der Sachen beraubet seyn/ in der wir unsere Glückseligkeit suchen (9) Ita Ille in der Artzeney wider die unvernünfftige Liebe/ und der zuvor nöhtigen Erkäntniß sein selbst/ oder Außübung der Sitten-Lehre p. 441. seq. §. 46. des XIII. Haupt-Stücks.

(7) Dolorem non immerito Philosophi Stoici, si injustum intelligunt, ortum ex objecto non in se & sua natura dolorifico, cujus species faciunt misericordiam, invidiam, æmulationem, zelotypiam, angorem, conturbationem, tristitiam, mœrorem & confusionem, *irrationabilem animi contractionem* esse dicunt. videsis M. Albrecht Christian Rohten/ Philosophiæ moralis juxta Peripateticorum sententiam Capita præcipua ut Stoicorum placita ex iis præmissis rectius intelligantur p. m. 145.

(8) Cicero Lib. III. de Officiis Cap. IIX. in fine: Satis enim nobis, si modo in Philosophia aliquid profecimus, persvasum esse debet, si omnes Deos, hominesque celare possemus, nihil tamen avare, nihil injustè, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

(9) Idem l. c. Cap. X. sub finem: In vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniqvum est: alteri deripere (invidere) jus non est. Sola enim bona quæ honesta. Et nunquam utile peccare, quia semper est turpe, & quia semper est honestum virum bonum esse, semper etiam est utile.

§. VII.

§. VII. Quemadmodum igitur invidiam nunquam licitam sive honestam esse dicimus, ita contra invidentiam omnem non improbamus, puta eam, qua quis sine læsione honesti, utilitati suæ inservit, eique potissimum, qua vitæ, honori ac familiæ consulitur, modo non impingatur in excessu. Eam verò invidentiam omnem, quæ solam utilitatem respicit, damnamus ac detestamur. Præterea quoque observandum, evenire posse, ut eadem ipsa invidentia, quæ in præterito exstitit honesta, in præsenti & futuro evadat inhonesta, quando scilicet non amplius indigemus eadem ad utilitatem nostram honestam atque necessariam.

§. IIX. Nec minus ea boni cujusdam proprii invidentia, quam non nisi mors ipsa terminat, ac causa est, ne post mortem cuidam illo bono, quod invidentia justè hactenus in proprium commodum reticuit, liceat frui, prorsus est abominanda, & graviter omnino peccat ejusmodi invidens, cumprimis, si ad possessionem illius boni, quod in honorem Dei cedere & humanæ societati prodesse poterat, non adeo facilis est accessus atque regressus.

§. IX. Quibus de invidia æque ac invidentia rudi in genere conscriptis penicillo, de facili conjici poterit, quid de Eruditorum invidia atque invidentia veniat sentiendum. Illa quidem studiorum existit corruptela iisdemque ponit impedimentum, si, qui studia sectantur, aliis studia sua solidiora invident, torvo eadem ac limo respicientes oculo. Non verentes, ne fortean ipsius Naturæ autor, ac bonorum omnium largitor in mentem aliquando revocet: Εταιρε, ȣκ εξεστι μοι ποιησαι ο θελω εν τοις εμοις; η ο οφθαλμος σȣ πονερος εστιν, οτι εγω αγαθος ειμι. Ex quo non raro fit, ut inutilibus rixis ac controversiis motis, aliis tempus, omnium pretiosissimam gemmam, quod in studiorum cultura collocari potuisset, præripiant, præripiantque sibimetipsis occasionem emergendi ac studia promovendi, nî fortean studiorum suorum, suamque gloriam in pruritu emendandi alios male-sano quærant, disceptationes de lana, quod ajunt, caprina, suscipiendo, vel ut alio quodam modo aliis ægrè faciant.

§. X. Quo ipso invidiæ œstro percitos reputamus, ac studiis nocere omnes & singulos, qui sine ratione castigatores ac emendatores semet objiciunt in versionibus Bibliorum B. Lutheri, censores, censura digni, quia iuvidiæ spiritu seducti, ne laus constet & honor B.

Viro, Ejusque versioni, posito, quod à multis evictum, & ipsa αυτοψεια edocet, illam B. Viri, si non omnibus, in plurimis tamen, multis parasangis superare ac præcurrere illas Novaturientium. Corruptelam vero atque studiorum impedimentum inducunt, ex duplici ratione, quod tempus sibi datum perdunt, aliosque obstringunt ut sibi contradicant. Ματαιολογους γαρ και Φρενατατας δει εστιζομιζειν, voce id fiat sive scriptis. Hoc ipso verò non omnibus Eruditorum contentionibus dica scribitur. Nam quod in collisione silicum accidere cernimus, ut scintillæ prosiliant, id in Eruditorum contentionibus similiter usu venire videmus, ut, dum libellis se mutuo isti petunt ac cæduntur, & ut Horatius ait, totidem plagis hostem consumunt, eruditionis variæ quidem lumen accenditur, ac proinde verum omnino reperitur istud Hesiodeum: αγαθη δ' ερις ηδε βροτοισι; sed simul ab utraque parte dicteria proficiscantur, quæ ii magis, quos ea non tangunt, quam hi in quos sparsa sunt ferre non possunt.

§. XI. Non prorsus autem indecoras Doctis, sed utiles & doctrinæ salutares habendas esse hujusmodi rixas, vel Ciceronis testimonio patet, qvi in ipsa Græcia Philosophiam tanto in honore nunquam futuram affirmat, nisi doctissimorum contentionibns dissensionibusqve viguisset. Igitur, modo contumeliæ verborum (addatur: invidia) absint, haud improbandum est, si exemplo boni illius & prudentis viri ab Horatio descripti, Doctorum scripta qvæ prodeunt ad vivum resecentur, ac super iis doctæ (non invidiosæ) lites exoriantur. vid. Clarissimi Actorum Eruditorum Lipsiensium Collectores in recensione Antibailleti, sive examinis libri Antonii Bailleti, qvi inscribitur: Judicia Eruditorum de præcipuis Auctorum libris, autore Ægidio Menagio. mens. Sept. Anni 1689. p. m. 494. Quæcunqve igitur Eruditorum conamina ex invidia proficiscuntur, studiorum censemus ac habemus impedimenta atque corruptelas.

§. XII. Verum de invidentia in superioribus descripta, aliter erit sentiendum. Hæc ipsa enim qvoad honestati nuncium non mittit, studiorum profectus licite retardat ac inhibet. Qua ex re eadem, concretivè spectata, illicite quidem persæpè studiis corruptelas inducit, non autem, si abstractivè, h. e. sine abusu in quodem subjecto. Idqve ex hoc, qvod utilitas qvæ exinde ortum ducere valet, si modo sit licita, & cum honestate conjuncta, ipsis studiis, eorum-

qve

qve incrementis anteponenda. Unde hoc ſenſu Eruditorum invidentiam licitam aſſerimus, ſi vel aliorum obſit ſtudiis.

§. XIII. Aſt id invidentiæ genus, cui utilitas ſola, eaqve minime neceſſaria, terminos ponit ac largitur natales, ex Eruditorum omnium pectore evulſum cupimus, ac indignum judicamus menti liberali. Hoc enim ſi quos exercet vitium ac movet, non poteſt non, qvin, dum omnia ex ſola metitur utilitate, ſtudiorum ſit impedimentum ac corruptela. Qvid? qvod ſocietati humanæ, ejusqve conſervationi, qva nemini qvid prius eſſe debet atqve antiqvius damnum, ne dicam ruinam, conciliare valeat. Sunt enim illius generis homines parum ſolliciti de συμφερω ex præſcripto D. Pauli ex I. Cor. XVII, 7. humanæ ſocietati promovendo. Quod ipſum Magalander noſter καθολικον ex mente D. Spiritus voluit, dum in verſione ſua addit: zum gemeinen h. e. allgemeinen Nutz. Nec obſtat, qvod locus citatus loquatur de donis ſpiritualibus. Sufficit enim, qvod omnia & ſingula, qvocunqve eadem inſignire queant nomine, naturalia & ſpiritualia dona DEO ferenda ſint in acceptum, quare & ſecundum Ipſius voluntatem rurſus veniunt diſtribuenda ad συμφερον καθολικον.

§. XIV. Præterea ſi nihil quicquam homini juſtum eſſe poteſt, qvod DEO eſt injuſtum, & invidentia omnis, quæ ſecundum datas reſtrictiones non procedit, hominem dedecet. In DEos autem invidentiam cadere negat Ariſtoteles Libr. Methaphyſ. I. Nos in DEum eandem cadere cum Ariſtotele per negamus, iisdem ipſius verbis, mutatis tamen, qvoad ſenſum: mutandis. Ita autem Ille: ει δε λεγουσι οι ποιηται, και πεφυκε φθονειν το θειον, επι τουτον συμβηναι μαλιστα εικος, και δυσυχεις ειναι παντων τους περιτους, αλλ ουτε το θειον φθονερον ενδεχεται ειναι, αλλα κατα την παροιμιαν πολλα ψευδονται αοιδοι. Invidentia igitur Eruditorum cum ſit reticentia eorum, qvæ το συμφερον promovere qveunt, hoc ipſo ſtudiorum maximum exiſtit impedimentum ac corruptela ubivis nociva.

§. XV. Sed nec abs hoc invidentiæ genere prorſus ſunt immunes Eruditorum illi, qvi in ſcriptis ſuis fontes reticent, unde fortaſſis plenior eorum informatio qvæ Ipſimet in ſcriptis propoſuerunt haurire liceret. Id qvod enim dum fit, mirum in modum ſtudiis obſtant ſolidioribus, utpote qvæ ex ipſo fonte ſolidius plerumqve imbibuntur.

Aſt ut verbo me expediam: Quicunqve מלאכת יהוה רמיה opera & actiones ſuas cum dolo edit, is ipſe ſtudiorum eſt impedimentum atqve corruptela. Invidentia actus opera & actiones ſuas cum dolo edit, E. Idipſum autem nomine רמיה venit, quando aliud præ ſe fert externa ſpecies, aliud vero reconditum eſt interius. Unde porro fluit tanqvam ex ſuo alveo, nec eos Eruditorum, qvi variis blandimentis, diſcentium animos nimium demulcent ab invidentia eſſe alienos, ut potius varia blanditiarum genera ipſi invidentiæ ſint adſcribenda. Multo minus illi, qvi ob commodum τȣ προσκαιρȣ negligenter facta bene habent.

§. XVI. Non qvidem dixerim, conniventiam omnem, ſi modo ſit temporaria, ſtudiorum curſum inflaminare ac impedire, id enim eſſet contra experientiam, rerum optimam Magiſtram, verba facere. Abſit modo רמיה & cura τȣ προσκαιρȣ nimia, ita actiones atqve ſuſcepta omnia nullum cum invidentia habebunt nec habere poterunt commercium, ſitqve ſalus Reipublicæ nunqvam non Lex ſumma, & cynoſura, ad qvam actiones componantur, ita qvidem invidentia, de qva nos loqvimur, omnis migrabit, ſtudia florebunt, nec erit cur qveramur de invidentia ſtudiorum impedimento & corruptela. Audiatur Cicero ex Cap. XII. Libr. III. de officiis. Tu, inqviens, cum hominibus conſulere debeas, & ſervire humanæ ſocietati, eaqve lege natus ſis ut ea habeas principia naturæ, qvibus parere & qvæ ſeqvi debeas, ut utilitas tua ſit communis utilitas, hoc eſt, uti nos eam accipimus, qvæ in omnes redundet, viciſſimqve communis utilitas tua ſit: celabis homines qvid rebus adſit commoditatis. Celare autem nobis hic cum Cicerone eſt ſine neceſſitate id ignorare velle emolumenti ſui cauſa alios qvorum intereſt u ſciant alii, hoc potiſſimum fini, ut συμφερον καθολικον conſervetur, promoveatur ac conſolidetur.

CORRUPTELA STUDIORUM III.

INCONSIDERATA LIBERORUM AD STUDIA DESTINATIO.

§. I.

INconſideratam dum dico deſtinationem nullam aliam volo intellectam, præterqvam eam, qvæ eſt abſoluta, ſive talis, qvæ neglecta ac poſthibita περιςασεων obſervatione, furenti quaſi ac violento impetu fertur in propoſita. Hanc autem non poſſe non

qvin

qvin ſtudiorum ſecum vehat ac poſt ſe relinqvat corruptelam, neceſſum erit, ut mecum fatcantur omnes, qvi æqvos ſe exhibebunt rerum arbitros. Deſtinatio verò hæc cum non ſit unius generis, illius diverſa ſi ſuppeditentur, è re confido futurum.

§. II. Inconſideratam itaqve ad ſtudia deſtinationem eam (I) habeo, qvæ ſit a Parentibus, eo qvidem tempore, qvo partus deſtinatus in lucem nondum eſt editus. De qva ita agemus ut inqviramus utrum (I) ſit licita & ſuadenda (II) an ſtudiis ſit proficua. Licitum ſecundum naturam id unice judicamus, cui ſana ratio & leges naturales non ſunt impedimento. Non ſana ratio, qvia eadem Numen ſupremum nos donavit ad inquiſitionem veri & falſi, liciti & illiciti, ita qvidem, ut, poſitis omnibus ad inqviſitionem veri & falſi &c. reqviſitis verum &c. habeamus omnia, exceptis ſpiritualibus, qvæ ratio noſtra verum eſſe aſſeqvitur, &, qvæ contra, falſum; Licita qvæ licita, illicita vero qvæ non licita. (10) De ſpiritualibus verò multa ſunt ac in æternum durabunt vera, quamvis ratio noſtra eadem vera eſſe non aſſeqvatur, interea tamen ut talia habet. Nec leges naturales, qvia hæ ipſæ, qvod naturaliter licitum & illicitum determinant.

(10) Unde non malè Henricus Hulſius, in, de Principiis credendi, libris duobus ex recenſione Clariſſimorum Autorum Actorum Erud. Lipſienſium Anno LXXXIX. m. Majo p. m. 274. Hominis eam eſſe indolem inquit, ut nulli prorſus rei poſſit aſſentiri, nihil itidem debeat agere, niſi luce, axiomate & dictamine rationis præeunte, aſſenſuique & actioni facem præbente NB. ſi Cl. Autori modo ſermo de rebus ac veritatibus quæ ex Lumine Naturæ agnoſci qveunt. Verum cum hunc rationis uſum potiſſimum ſe exſerere dicitur in prima fundamenti confirmatione, ſeu probatione divinæ Autoritatis Scripturæ, omnino ut ipſi mittamus nuncium neceſſum eſt. Nullo quippe modo largiri poſſumus rationis judicium infallibile eſſe Θεοπνευςειας Scripturæ Sacræ teſtimonium, id quod tamen aſſerit dum ita: Ut Gentilis ad Chriſtianam profeſſionem adducendus, divinam Scripturæ Originem agnoſcat, ratione ſua eum adduci, qua judicat hæc vel illa criteria, quæ Scripturæ conveniunt, divinitatis indicium eſſe. Quin plebejum etiam fidelem, & idiotam de Scripturæ divinitate certiſſimè perſvaderi, ex ratione ſua & notitia naturali veri & boni. Videns enim in Scripturis, pergit, proponi id, quod verum & æqvum eſt, ex conſcientiæ innatis principiis ſine examine in Scriptu-

Scripturis id agnoſcit, recipit & veretur. Hactenus ille. An vero id agnoſcat, recipiat & vereatur tanquam verbum indubitatò Θεοπνευςον, hoc quidem eſt de quo omnino nobis dubitandum, & quod negandum, quod ceteroquin tot quis habiturus foret ſcripta Θεοπνευςα, quot offenderet, vera & æqua, & conſcientiæ innatis principiis non contraria. Et nonne multa in Scriptura Sacra occurrunt, quæ ratio ſibi relicta falſa potius ſit dijudicatura quam vera, niſi ipſa Scriptura eam αβλεψιας convinceret. Vel ipſe Hulſius αβλεψος extitit, quod Corpus dulciſciſſimi noſtri Salvatoris contra Lutheranos ſubſtantialiter in Cœna præſens eſſe negavit, quod contra omnem rationem id doceri exiſtimat. Profitemur hanc noſtram doctrinam υπερ νον, υπερ λογον, και υπερ πασαν καταληψιν eſſe, non autem contra rationem. Unde & omnino male ferimus quando dictus Hulſius eos rejicit, qui Spiritus S. Illuſtrationem immediatam principium eſſe putant, propter quod Scripturæ credimus, quod id ipſiſſimus Enthuſiaſmus ſit, qui ad Scepticiſmum ducat, imo ad Atheiſmum. Quando illuſtrationis immediatæ fit mentio, ſine dubio vi hypotheſeos eam intelligit Spiritus S. quæ fit per Scripturam ipſam Θεοπνευςον. Fanatici quidem moderni æque ac veteres illuſtrationem quoque immediatam, quam Chriſtum in nobis, & quot non expreſſionum monſtris, appellant, habent, aſt de eadem Hulſio verba non eſſe ex abundanti conſtat. De hac ſi fuerit profeſſus ipſiſſimum eſſe Enthuſiaſmum, qui ad Scepticismum, imò Atheiſmum ducat, noſmet non haberet contradicentes. Verum cum de illa, ut dixi, Spiritus S. operatione ſeu illuſtratione qua Is per Scripturam in nobis efficax eſt ad producendam in nobis fidem divinam, eandemque in nobis de autoritate Scripturæ S. divina obſignandam, loquatur, miſere à veritatis tramite aberrat. Hanc enim utique cum teſtimonio, quod Scriptura de ſe ipſa & Θεοπνευςια ac divina autoritate ſua perhibet, infallibilia habemus teſtimonia, quibus Scripturæ Divinæ Autoritas infallibiliter perſvadetur, ita ut ſuſcipiatur, & non poſſit non quin ſuſcipi fide divina. vid. Königii Theologia Poſitiva Acroamatica Cap. II. Protheoriæ ſpecialis §. 113. Teſtimonium autem quod Hülſio ratio in probanda Scripturæ Div. autoritate porrigit, internum quidem ipſi Scriptura habemus, ſed tantum probabile & per conſequens non abſolute convincens. Quæ autem abs Hulſio ex Scriptura S. ad probationem dogmatis ſui στεροδοξα petuntur rationes vel ex eo

erunt

erunt rejiciendæ quod falso præsupposito nituntur. Quod sequens juxta l. c. Ad verborum certam significationem ac sensum Scripturæ indubitatum eruendum, interpretes non male in subsidium imprimis vocant contextum & circumstantias loci speciales, attamen *& hic ultimato ad axiomata & principia sanæ rationis innata*, ad regulas bonæ connexionis recurrendum. Quam misere autem ipsi veritati hac ratione in os conrradicat nulli quidem esse poterit obscurum, qui leget in eaHulsium esse opinione acsi Rom. XII.1. *Fides dicatur cultus rationalis*,& ex hac ratione rationis usum principalem se exserere in probanda Scripturæ divina autoritate. Primo n. de fide hic ne γρυ quidem occurrit, qui igitur dici poterit fidem esse cultum rationalem. Et posito, non concesso, de fide l. c. agi, quæ quæso erit consequentia: Fides est cultus rationalis,idcirco ratio usum suum principalem exserit in probatione divinæ Autoritatis Scræ. Melius fortean ex præsupposito hocce falsopro principio quorundam, & fortean ipsius Hulsii, credendi, ita concluderetur. Fides est Cultus rationalis, E. omnis Cultus abs ratione non debet abludere. Verum sic respondetur ex principio falso veritatem non posse inferre, quia Logicis notum nihil debere esse in Conclusione quod non fuerit in præmissis. Sed ut ad locum Paulinum, vera profitentem, deveniamus, inspectio ipsius probat non de fide, sed de cultu rationali sermonem esse, hoc est illo,qui non est sumptus de irrationalibus animantibus, ut fiebat in Mosaicis sacris, sed rationali, non quidem, qui ductum rationis in spiritualibus unicè sequatur, sed qui mente sive intellectu per Spiritum Sanctum reformato & illuminato Dei voluntatem rite cognoscat. Sic igitur cultus non dicitur rationalis ratione principii ex quo, sed ratione subjectorum, qui religioni Christianæ sunt addicti. Conf. Joh. Frid. Mayeri Dissertationem de Cultu rationali, & Hollazii Examen Part. I. p. m. 79. Nec melioris conditionis est illa Hulsii probatio, quam contra litteram scriptam deductam voluit, ex 1. Petr. II. 2.quod doctrina fidei rationale lac dicatur. Verum de verbo divino ολικως sumpto l. c. sermonem esse ex inspectione constabit. Et id quidem ipsum non λογικον, sed λογικον αδολον γαλα dicitur, tum, quia ab anima recipitur, mentem informat, & homines verè prudentes reddit, tùm, quia uti est per se sincerum & purum, ita etiam simplex, & ab omnibus doctrinis hominum, ac corruptelis purum est appetendum conf. J Winckelmanni Comment. Cetera quæ adducta leguntur argumenta, brevitatis ratio-

nem habens, modò adducam, ne quis eadem solidiora adductis judicet. Sic igitur pergit Hulsius: quia Scriptura συνεσιν requirat εν πασι, quod verbum Dei medullas penetrare, λογον εμφυτον esse, immo ad conscientiam omnium se commendare dicat; quod probare jubeat spiritus loquentes, num ex Deo sint.

§. III. Qvibus præsuppositis confidenter affirmamus, omnem ejusmodi, de qva nobis sermo, liberorum ad studia destinationem illicitam esse. Sana qvippe ratio eandem licitam esse negat, qvod agnoscit, varias impedire posse circumstantias, qvo minus partus editus ad studia tractanda sit fiatqve aptus, &, qvod ejusmodi præsumpta destinatio causa esse qveat, ut partus editus, habilis sit evadatqve inhabilis, Musis consecretur, idqve in studiorum non tantum, sed & ipsius consecrati detrimentum. Jam vero sana dictitat ratio, nihil quicqvam, ne animo qvidem esse concipiendum, nedum statuendum, qvod noxam alicui haud promeritam inferre qveat.

§. IV. Etenim uti ex affectibus sæpe repetitis proclivitas qvædam & propensio facilitasqve enascitur, ita ut qvo sæpius homo aliqvo affectu abreptus est, eo facilius abripiatur in posterum. vid. Cl. Buddeum in Elementis Philosophiæ practicæ Cap. II. Sect. II. §. L. Ita etiam aliqvoties apud animum concepta hæc talis destinatio facile recurrit, ac causa existit, ut, qvam qvis destinationem animo volvit, iterum iterumqve volvat, ita qvidem, ut sine maturiori ac saniori ratiocinio, cœco abreptus impetu efficienda dein curet, qvæ sibi proposuit atqve concepit. Qvoad igitur Philosophia inculcat Principiis esse obstandum, inculcabit etiam vi hujus Principii, nullum partum anteqvam sit editus vitæ cuidam generi esse adscribendum, &, dum Philosophia defendit, nihil frustraneum esse occipiendum, præsumendum, multo minus statuendum aut exeqvendum.

§. V. Jam vero hanc ipsam destinationem natura ipsa non raro elusit, edendo partum, ad studia prorsus ineptum conf. Hondert: Ent eerste Deel van het tvveede Hondert-Getal der zelzame Aanmerkingen, so in Genees-als Heel-en Sny-konst, meest by eygen Ondervinding van tyt tot tyt vergadert en obgestelt, dor *Cornelis Stalpaert van der Wiel.* Stads-Doctor in Graven-hage. Qvo in Observatio II. Cent. II. infantem producit e matre, qvæ sex circiter menses gravida procidendo cisternæ alliserat caput, justo tempore vivum qvidem enatum, atqve 24. horas superstitem, absque ullo tamen cerebro. Sic

&

& in Zodiaco Medico Gallico *Nicolai de Blegny* puellam sine cerebro natam, ejusque loco aquam liquidam membranas implevisse adseritur. En igitur subjecta, qvæ si fortean studiis ante partum fuissent addicta, Providentia divina ipsa inhibuisset propositi executionem, dum concessit talem edi partum. Et, nonne hæc talia exempla irritam ejusmodi esse ac frustraneam destinationem indubitato loqvuntur. Qvis porro negare qvoqve audebit Philosophiæ contrarium esse propositum ante tempus sine necessitate & utilitate susceptum? Atqvi ejusmodi destinatio est sine necessitate & utilitate ante tempus suscepta. E. & per conseqvens ex judicio rationis neutiquam licita. Leges autem naturales eandem licitam determinare nullo poterunt modo, quia hæ leges nil quicquam complectuntur, qvod ratio non capiat.

§. VI. Sed instas, licet ejusmodi absoluta destinatio illicita sit habenda, videri tamen eam conditionate factam, si scilicet περιστασεις necessariæ in partu edito aliqvando non desiderentur, non esse improbandam. Ast & hanc improbare rationem adducta evincunt argumenta, conferatur modo §. III. & IV. Est enim non solum periculosa, sed & difficulter solet esse mobilis, sit vel ut obsit rationi. Qvid igitur si partum a Domino Parentes sub voto obtinuerint exemplo Hannæ? de qvo 1. Sam. I. v. 11. nonne is ante partum sub hac ratione ad certum vitæ genus absolute destinatur licite? Respondetur (a) quod si Parentes certi esse possent se NB. sub, sive ob ejusmodi votum prolem a DEO esse nactos, necessario ad tenorem voti ipsis esset agendum. Qvare & (b) Philosophia votum omne servandum esse agnoscit, qvod in se & sua natura non est malum. Male facta autem pejus servantur. Uti votum Jephtæ. (11) Et, qvod votum non plus nocet illi, qvi vovit, quam illi prodest, cui votum.

(11) Votum Jephtæ illicitum fuisse ad unum omnes confitentur Theologi γνησιοι. Qui secus sentiunt provocare solent ad Hebr. XI. 32. Verum heic fides Jephtæ commendatur, loquente Danhauero, non qua quod voverat servavit, sed qua in Deum relata nixus potentissimum hostem aggressus est. Juvat adscribere verba Corn. à Lap. in h. l. ex Chrysost. Theoph. & Abalens. collecta. Nota secundo: Apostolum hic proprie & primariò non texere Catalogum Sanctorum V. T. sed tantum laudare & proferre heroes fidei, qui per fidem heroicam opera ediderunt. Nam alioqui constat Jephte latrocinio, Samsonem & Rahab fornicatione,

alios aliter peccasse. An verò secundum ipsum immolatio filiæ evenerit an minus? Theologi rursus & Philologi in diversas abeunt partes; sic & an votum fuerit conceptum de immolatione filiæ ad mortem, an de cœlibatu aut alio aliquo sacro ministerio? Resolutionem harum aliarumve quæstionum exhibet Joh. Conr. Danhauerus in Dissertatione de Voto Jephthæo, quæ quinta vice ob præstantiam suam Argentorati 1689. lucem vidit.

§. VII. Optime Hieronymus Wellerus Commentario in librum priorem Samuelis, qvi primus esi in Operibus Ipsius latinis, qvæ non immerito divinæ doctrinæ & solidæ consolationis plenissima dicuntur, & Lipsiæ in Folio cum præfatione D. Sam. Benedicti Carpzovii MDCCII. prodiere, p. m. 8. Hanna petit a DEO fiium, non modo ut liberetur sterilitatis probro, sed etiam ut illum Domino in ministerium verbi tradat (12) Qvo exemplo Parentes admoneantur liberos esse donum DEI Psalm. CXXVII, 3. (13) *eosqve a DEO petendos, & ad gloriam DEI educandos esse*, non temere donari à DEO liberos, sed ut a Parentibus honeste & pie educati & instituti, postea *Ecclesiastica*, *Politica*, & *Oeconomica* munera subeant, in qvibus, (discretive muneribus intellectis) DEum celebrent & glorificent.

(12) ונתתיו ליהוה כל ימי חייו ומורה לא יעלה על ראשו: h, e. Naziræum eum voluit, conferatur de Naziræis, eorumque abs Rechabitis differentia, & quibusdam aliis Thomæ Godwini Moses & Aaron p. m. 79. Editionis Reizii. Ex verbis autem Hannæ innotescit Samuelem filium non Naziræatui dierum certorum, sed seculi, h. e totius vitæ adscriptum fuisse. An verò Samuel à voto suo rursus liberatus fuerit, quod nonullis videtur, apodictice affirmari non licet. Quod autem Spencerus Nazaræorum ritus ad morem Ethnicorum institutos esse adserit, id quidem nobis ingratiis dictum judicarur. Videantur Ipsius Libri de Legibus Hebræorum ritualibus & earum rationibus p. m. 854. seq.

(13) Frustra omninò Dominus David Sigismund Bohnstedt liberos ex impiorum & illegitimo toro prognatos donum Dei esse negat. Verba Illius sunt sequentia ex Concione quadam: Was uneheliche Kinder anlanget/ so sind dieselbe zwar ein Geschöpffe GOttes/ aber nicht eine Gabe und Geschencke des HErrn nach dem Sinn Davids/ sc. in l. c. Necessum igitur ut in mentem Davidis inquiratur, cognituri, quid Ipsi sit נחלת יהוה & שכר h. l. Prius quod attinet prædicatum

dicatum, observandum notionem נחלה in genere denotare possessionem, qua quis pro arbitrio utitur. Jam verò si liberi sunt possessio Dei, κληρονομια Κυριȣ, quid quæso aliter innuit divus Psalmista, quam id ipsum quod liberorum nomine venit, ita esse DEI possessionem atque peculium, ut eodem pro arbitrio suo atque pro arbitrio largiatur quibus velit. Et, quod si per consequens liberis tanquam possessione sua pro arbitrio utitur, liberi à Parentibus accepti, Deo ferendi sint in acceptum, h. e. sint Donum Dei, eine Gabe GOttes/ und nicht nur ein Geschöpffe GOTTES. Accedit, quod omnia, quæ per creationem Dei continuatam, h. e. Providentiam, genus humanum conservantem, tertio cuidam eveniunt, necessario, ac sine ulla prorsus exceptione dicenda sunt Gaben/ non verò Geschöpffe GOttes/ nisi addere velis: Von GOtt gegebene Geschöpffe/ h. e. quod ad eundem recurrit sensum: Gaben GOttes. Posterius verò quod concernit prædicatum, sc. שכר, idipsum quidem illius est significatus, ut alias propriè pro justa debitaque laboris, officii aut operæ compensatione accipiatur; hic tamen ut res ipsa docet: pro indebito ponitur beneficio, quo Deus liberrimè afficit modo hunc modo illum. conf. *Geieri* Commentarius in h. l. videtur autem Dominus Bohnstedt in suam devenisse opinionem quod שכר τȣ cum Campensi significatum præmii, einer aus Gnaden geschehenen Belohnung/ tribuit, qui quidem significatus in dicto loco si obtinere posset, neutiquam impiorum & ex illegitimo toro prognati liberi dicendi essent: ein Geschenck und Gabe GOttes. Verum quia sic ex principio falso thesis Domini Authoris procederet, non potest non quin principiatum ipsum sit falsum. Notetur obiter quoad dictum ex Psalm. CXXVII. quod verba versus secundi quæ Lutherus vertit: Denn seinen Freunden gibt Ers schlaffend/ sive im Schlaff/ juxta fontem merito ita sint vertenda: Sic dabit dilecto suo somnum, h. e. juxta vim שנא ȣד (qua in forma non nisi hoc loco occurrit, alias enim scribitur שנה) plenam & perfectam dormitionem, einen unbesorgten/ völligen und geruhigen Schlaff. Unde constat opus quoque esse dilectis Jehovah laboribus, si quidem frui velint beneficiis divinis, sed iis, qui sunt liberi à curis præposteris conf. Matth. VI. 25. seqq. Et, quod LXX. τȣ שכר habuerit, obloquente fonte, instar subjecti determinati cum seq. פרי הבטן. Occurrit ceteroquin loco שכר vox μισθος de qua observatur quod vel pro-

propriè accipiatur, & tunc est ἀνταποδοσις, facto condigna, vel improprie, & tunc est merces sequelæ & gratiæ, ita merces & donum synonyma sunt Gen. XV. 10 Gen. III, 18. 20. Ps. CXXVII, 4 conf. eruditissimæ *Wolfburgi* Observationes sacræ ad hanc vocem. Sive in posteriori significatu non intelligitur merces æqualitatis, proportionis & commensurationis, sed munificentiæ & benignitatis, quæ dignitatem operis infinitis modis excedit. vid. Elem. Theol. Summè Reverendi atque Excellentiss. D. Joh Bartholini, Art. 8. §. 47 p. m. 164.

§. VIII. Qvodsi autem porro regeratur: si destinatio Samuelis, qvam Hanna sub voto fecit, non fuit illicita, sequitur qvod nec aliorum Parentum ad certum qvoddam vitæ genus. Verum respondetur, Majoris conseqventiam oppido infirmam esse. Duo enim cum faciunt idem non est idem. Præterea sciendum, non omnia omnium sanctorum in Veteri Testamento opera sine discrimine esse imitanda. Ita dictus Wellerus l. c. p. 9. addit: Teneamùs igitur hanc regulam: Qvod non in specie, sed in genere Sanctorum opera imitanda sint. Multa enim illos singular qvodam fidei motu, seu spiritu heroico, divinitus dato, fecisse legimus. De votorum natura & diversitate consulere licebit Jo. Hoornbeckium in Theologia Practica Part. II. p. m. 356. seqq.

§. IX. Svadendam autem hanc talem destinationem Parentibus esse is demum affirmabit, qvi (α) illicita reddere poterit licita. Et qvi (β) ea, qvæ cum periculo qvodam deprehenduntur conjuncta illis præferenda esse evincet, qvæ periculum nullum secum vehunt, nec invehunt in alios. Et (γ) is, qvi impune societati humanæ damnum conflari posse autumat, & corruptelam studiis. Proficuam porro eandem studiis offendet, cui, sit vel Janus bifrons, illius incommodum cernere non datur. Sed objicitur: Destinationem hanc fortean ingenia quædam X. talentorum, studiis in sui emolumentum lucrari posse. Aft facilis est responsio & qvidem (1) Illicitum qvoddam studia non desiderant in sui emolumentum, quod, dum est illicitum, plane non est & judicatur emolumentum. (2) Ejusmodi ingenia, qvorum fortassis tot sunt, qvot Thebarum portæ & divi ostia Nili tempore justo Musis consecrari possunt (3) si Musis futura sint præ aliis proficua, nec ambigendum, ne illis in usum cedant. Studia enim sunt divinum qvid, & divina reguntur ac conservantur Providentia.

§. X. Diximus improvidam subjectorum ad studia destinationem non unius esse generis, cujus ergo adserti, in ipsa veritate funda-

ti

ti, memores, reliqvas necessum esset ut adferremus species. Verum cum tot dentur improvidæ destinationes, qvot absentia maturæ deliberationis introducit, difficile non qvidem arbitramur futurum, ingentem illarum farraginem suppeditare; Ast brevitatis sollicitudo non permittit, in hanc ut descendamus impræsentiarum inqvisitionem. Accedit, qvod de reliqvis speciebus ex superioribus non adeo difficulter ferri qveat judicium, hac insuper nunqvam non observata regula: Quæcunque destinatio sine sufficienti deliberatione, ex nudo qvodam proposito atqve impetu, sine maturo judicii arbitrio, atqve nessitate, ad voluntatis imperium instituitur, illa ubivis improvida venit dicenda.

§. XI. *Huartus* verò, si artem æqve invenisset gignendi liberos cum propensione ad studia, qvemadmodum eam vult inventam, qua sapientes gignere licet (14) Ipsius inventa mirum prorsus in modum studiis solidioribus forent profutura. Sed veremur, ne artem ex utraque parte perqvam arenosam docuisset. Regulas quas in Diæta Parentibus observandas præscribit, illius sunt conditionis, ut paucis sit datum ad easdem se componere. e. g. si usum perdicum & attaginum, vini apiani seu moschochatelli generationi filiorum ingenuorum (eccur non filiarum, hæ enim naturaliter consideratæ iisdem pollent mentis facultatibus cum sexu masculino, & discrimen, qvod inter mares & foeminas intercederè videtur, maximam partem ab educatione provenit) inservire putat. O miseram hominum conditionem, quibus hisce cibis vesci non licet! Et nonne experientia cotidiana, infallibilis testis ac judex Huarto contradicit? Porrò si tanta esset hujusmodi ciborum vis, omnis corporum nostrorum conditio, qvæ ex alio alimento in esse suo procedit, animæ nostræ non æque commode in usum cederet. Et qvî tales qvoad intellectum ceterasqve mentis facultates existerent infirmiores, quibus dictis abs Huarto cibis frui non est licitum. Optime Morhofius Tom. I. Polyhistoris Lib. II. Cap. I. §. VI. seqq. p. m. 322. Editionis, qvæ Lubecæ MDCCXIV. prodiit: Non defuerunt, inqvit, qvod mireris, qvi singularis sapientiæ rem habuerint, sapientes gignere liberos; Ut de Democrito narratur, divinum illum & cœleste pharmacum invenisse, quod fortunatos & sapientes homines efficeret. Qvid Democritus hoc suo pharmaco intellexerit, altioris esse asseritur indaginis. Ego quidem idipsum non æqve physicum, qvam morale & doctrinale esse existimaverim. Pergit Morhofius: Qvi de liberis consilio qvodam & arte gignendis, in qvorum numerum refert *Huartum* nostrum & alium, qui se *Calvidium*

Latum

Lætum appellavit, cujus autem nomen genuinum esse Claude QUILLET, ex Bailleti Libro de Jùdic. Doctorum tom. IV. part. V. de Poëtis num. 1511. adducit, præcepta scripsere, quasi Promothei instar, novos sibi homines è meliori limo fabricaturi, illi NB. *ultra Naturæ opificem* sapere videntur, ac fata ipsa in ordinem redigere velle, mihi videntur.

(14) Conferatur in de scrutinio ingeniorum tractatu p. m. 165. Certum est, sunt Ipsius verba, esse adeo populorum quendam ordinem, ac tantum causarnm naturalium inter se foedus, ut si curam ejus Parentes tempore generationis habeant, liberi eorum omnes, sine cujusdam horum exceptione, aptissimi ad sapientiæ studium sint proditurí. Sic speciatim docet p. 680. qvî, liberi magno pollentes intellectu & memoria. p. 681. imaginativa eximia &c. &c. sint generandi.

§. XII. Interea tamen, qvod ad nutritionem, neutiqvam negamus, temperamentorum diversam mixturam, qvatenus scilicet particulæ sangvinis diversæ in qvovis temperamènti genere largiores atqve parciores miscentur, prorsus diversas conferre mentis operationes, siqvidem mens nostra, qvoad cum corpore conjuncta, corpore ejusqve partibus utitur in operationibus suis. Qvodsi igitur id ipsum, ad hanc vel illam mentis nostræ facultatem aptius est dispositum, mens qvoqve nostra, facultate sua utitur commodius. Sic nec inficias ire possumus, qvod, cum sangvis ex alimentis assumptis generetur, diversitas alimentorum, diversitatem qvoqve temperamentorum introducat, & qvod per conseqvens cibi assumpti corpus magis atqve minus aptum exercitio animæ relinqvant aptumqve constituant. Nam uti *Galenus* peculiari libro, qvod mores temperamentum corporis seqvantur, propugnat, teste Morhofio, sic nos propugnamus facultates mentis nostræ, pro diversitate temperamentorum se exerere, &, cum Morhofio, qvod corpus ex alimento crassiori compactum plerumqve spiritus stupidiores in liberos à se genitos transmittat, & qvod magna qvoqve ingeniorum è mundi plagis, loco nativitatis, educationis, nutritione ipsa fit varietas.

§. XIII. Sed valeat Huarti inventum Nov-Antiquum, ejusqve, qvam brevibus instituimus, consideratio, quod id ipsum impedire non posse observavimus, ne in prolis ad studia destinatione peccetur, &, ne studiis inferantur corruptelæ. Temet autem, L. B. in Domino, cui gratias, pro concessis viribus, dicimus immortales, valere jubemus, ulteriorem hujus materiæ deductionem,

ἐὰν Κύριος θέλῃσῃ καὶ ζήσωμεν,

promittentes.